

His de rebus Galliae Rex a Reipublicae oratore certior factus, neque Senatus consiliis, neque Langei officiis labantem Pontificis animum retineri potuisse; magis apud illum Borbonii in Flaminia motus, instantemque periculorum adspectum, quam foederatorum fidem potuisse: hoc Clementis consilio spes omnes bene gerendarum rerum imminui, ac debilitari; verendumque esse, ne a Pontifice, hisce induciis foedere violato, Caesarique adjuncto, totius belli impetus in Venetos effundatur: unam Rempublicam universos hostium conatus excepturam, undique Caesaris copiis septam, quas jam prope in penetralibus sentiat: iis Alphonsum Ferrariae Ducem accedere. Quos vero hostes in Italia modo habent, nisi Rempublicam? adversus quam totam armorum vim exerere non dubituros: qua in re si compotes voti sint, si Venetos devicerint, quis ambigat, reliqua illis ex sententia eventura? hoc tanquam gradu sibi ad monarchiam totius Christiani orbis amplissimum iter munituros: petere itaque, rogare, flagitare, ut majoribus auxiliis, & copiis in hoc rerum periclitantium statu amicus Rex Reipublicae subveniat, arctiorique societatis nexu eandem complectatur. His Regem ad opem sibi ferendam Veneti hortabantur: verum in ancipiti humanarum rerum exitu, ut jactatae tot bellorum casibus Christianae reipublicae subveniretur, a communibus Christianorum Principum induciis minime Patres abhorrebant; quapropter illud Regi adjectum est, se induciis cum reliquis ineundis consilia a suis commodis haud aliena fore, existimare: cum interea cum Anglo cognationem filii connubio arctius firmare, quod maxime Caesareani verebantur, atque potentissimi Regis mentem summopere ad inducias propensam ad se allicere posset; hoc facto, Caesarem suspicione laborantem, ne Clemens, Angli, Galli, & Veneti socia arma jungant, facilius Francisci Regis filios dimissurum, ac post tot bellorum pericula, & clades optata tandem pace Christianam rempublicam potituram. Interim ne propter Clementis cum Caesare pactas inducias aliquid foederatorum res detrimenti paterentur, Urbinati imperatori, qui tum cum exercitu inter Mutinam, & Regium morabatur, Senatus significat, ut cum Salassiorum Duce incolumitati copiarum consulat: idem Bajucensis Episcopus Salassio scripserat, ut suos milites nostris adjungeret.

1527

*Urbinas cum exercitu inter Mutinam, & Regium.*